



## **Patrocinium Defvncutorvm**

**Hautin, Jacques**

**Leodii, M.DC.LXV.**

§. 1. Declaratur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)



ARTICULUS III.

*Misericordia lege piis manibus  
opitulandum.*

§. I.

*Declaratur.*

470. *Misericordia lex sa-  
pe promul-  
gata.* MISERICORDIÆ lex, non uno loco,  
nec semel lata, & promulgata est.  
Nam in veteri quidem Instrumento Zach.  
7. *Hæc ait Dominus exercituum dicens.*  
*Iustum iudicium iudicate, & misericor-  
diam, & miserationes facite, unusquisque  
cum fratre suo.* Deinde in novo sic immi-  
tem servum arguit Dominus Matt. 18.  
*Nonne te oportuit misereri conservi tui, si-  
cut & ego tui misertus sum?* Sed nihil  
evidentius hoc in genere supremo Christi  
iudicio Matth. 25: *Discedite à me maledi-  
cti in ignem æternum, En poena. Quæ cul-  
pa, quæve legis violatio? Esurivi enim,  
& non dedistis mihi manducare: sitivi,  
& non dedistis mihi bibere.* Et verò di-  
lectus discipulus idem didicerat à Magistro  
suo. Quamobrem Epist. 1. c. 3. *Qui ha-  
bueris, ait, substantiam huius mundi, &  
viderit fratrem suum necessitatem habere,  
& clausit viscera sua ab eo quomodo cha-  
ritas Dei manet in eo?* Si charitate, &  
gratiâ Dei excidit, ratum est, offensâ Nu-  
minis, & legis ejus violatæ, reus est.

471. *Ad miseri-  
cordiam  
spiritua-  
lem stric-  
tus obliga-  
mur.* Quod si autem misericordiæ lege cor-  
porum miseras levare tenemur, haud am-  
biguum, quin, & animæ, & strictius qui-  
dem, depellere obligemur. Nam cum ra-  
tio miserendi, sit miseria, spiritualis mise-  
ria longè gravior est; atque adeò miseri-  
cordia spiritualis magis necessaria. Adde,  
& hanc esse faciliorem, cum citra incom-  
modum exhiberi queat; & nobiliorem,  
tum quia bonum spirituale præstantius est  
corporali, tum quia animus cui benè sit,  
præstantior corpore, tum denique quia  
actio, per quam animo opitulans, est nobi-  
lior.

472. *Lex miseri-  
cordiæ  
spectat de-  
functos.* Ex quibus manifesta fit obligatio piis  
manibus opitulandi. Horum enim mise-  
ria & corporalis dici potest, & spiritualis.  
Corporalis quidem, quia ignis quo tor-  
quentur, corporeus est, & cruciatus ei  
similis quem corpus vivens vel potius ani-  
ma illi insidens patitur. Verè enim, ut  
probavimus, in illam sævit agitque lustra-  
lis ignis, ei que ejusmodi dolorem inurit,  
quem inureret ipsimet corpus insidenti.

Spiritualis verò vocari eadem miseria po-  
test, tum quia spiritum afficit, tum quia  
maximè sita est in tristitiâ ex privatione vi-  
sionis beatificæ & scelerum memoriâ ma-  
nante. Quare si alterutra calamitas mise-  
ricordiam jure suo exigit, longè potiori  
utraqve illam exiget. Ne autem quispiam  
perperam objiciat misericordiæ legem ad  
solam mortalium miseriam sublevandam  
obligare, meminerit à Suario, cæterisque  
Theologis, objecto materiali misericordiæ  
comprehendi eos omnes, quos caritas spe-  
ctat, modò sint miseriæ capaces. Quare  
cum charitatis virtus ad eos juvandos se  
porrigat, quis misericordiæ legem ad so-  
lam viventium sublevationem extendat?  
Accedit, quòd Christus eum damnet, qui  
Domini servum, & Joannes, qui fratrem  
suum non sit miseratus: pii autem manes  
& Domini servi, & fratres nostri sunt: &  
horum igitur non misereri, inhumanum,  
& misericordiæ lege vetitum: præsertim  
cum pluribus Scripturæ locis, misericordia  
generatim præcipiatur, & avari, immitis-  
que ingenii sit, nolle ad defunctos hujus le-  
gis fructum extendi.

§. 2.

*Amplificatur ex conditionibus  
misericordiæ.*

473. *Conditio-  
nes miseri-  
cordiæ.* CÆTERUM ut hæc obligatio luculen-  
tius monstretur, tres mihi res expen-  
dendæ sunt, quas ad miserationem requi-  
rit Philosophus 2. Rhetoric. cap. 4. Prima  
est ut qui miseretur, alienam miseriam  
æstimet suam. Id quod authore D. Tho-  
ma q. 30. a. 2. duplici ratione potest con-  
tingere. Primum per affectuum consen-  
sionem, atque ut vocant, unionem, quam  
verus amor parit: cum amicus amico sit al-  
ter ipse, & alterius malum sit utriusque.  
Quare idem Philosophus inter amicorum  
officia meritò mutuum commiserationem  
recenset. Posterior modus in communio-  
ne miseriæ situs est: si nimirum quis vel ea-  
dem patiat, vel propter ejusdem natu-  
ræ fortisque societatem se pati posse arbi-  
tretur quæ in misero videt. Nam prop-  
terea ejus illum miseret. Quo pacto infir-  
mi, senes, ac Sapientes, cum propriam natu-  
ræ imbecillitatem agnoscant, ad miseran-  
dum proniores sunt robustis, juvenibus,  
saturis, qui cum miseras, vel experti non  
sint, vel se posse experiri non existiment,  
facile iis se immunes fore arbitrantur.

474. *Miseria de-  
functorum* Atque hinc existit prima causa piorum  
manium miserendi. Ut enim de officio  
amicorum